Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1511

Quelle:
Copyright:

quasi vero uni Popularium *Lelando* minus probatus fuisset *Wiclefus*. Certe *Joh. Fellus* doctus ille *Oxoniensium* Praesul, teste *Ant. Wood* in *Vita* propria edita a *Th. Hearne* ad calcem *Vindiciar. Antiquit. Acad. Oxon. Th. Caji, Oxoniae* 1730. 8. hoc de eo judicium tulit: *That Joh. Wycleve was a grand dissembler, a Man of little conscience, and what he did as to religion, was more out of vain-glory, and to obtain unto him a name, than out of honesty* &c. Verum en Lupum in fabula.

II. *fol.* 38. p. 2. *Incipit tractatus Magistri Jo. Wi. de compositione hominis Doctoris evangelici.* Initium: *Tria mouent me tractare materiam de compositione hominis* &c. Ut alibi. Ad calcem: *Explicit Tractatus De compositione Hominis Magistri Johannis Wykleph professoris sacre Theologie Per Petrum de Czaslawia Anno domini M° CCCC° XXXII. imminente ante Circumcisionem domini nostri ihesu christi. Et finitus est Glatowie.*

III. *fol.* 62. p. 2. *Incipit tractatus de vniuersalibus Magistri Johannis Wikleph.* Initium: *In purgando errores circa vniuersalia sunt tria introductoria* &c. Notatus *Baleo* et *Tannero*, neutro tamen initium indicante. Constat *Capitibus* XV. Subscriptum: *Finiui sabbato proximo ante purificacionem. Explicit*, ut supra, — *finitus Glatowie, Sub Anno domini M° CCCC° XXXIII°. Et eodem anno fuit Synodus generalis Concilij cum dominis Bohemis Basilie.*

IV. *fol.* 115. *Incipit tractatus de incarnacione Magistri Jo. Wykleph.* Initium: *Prelibato tractatu de anima qui introductorius est* &c. Ut alibi. Ad calcem: *Explicit tractatus de Incarnacione M. J. Wy. Anno domini* 1433.

Scriptori pro penna dentur gaudia sempiterna.
Fur huius carte ledatur demonis arte.

V. *fol.* 158. *Incipit tractatus primus de ente in communi.* Initium: *In primis ergo supponitur ens esse* &c. Nescio, an idem cum eo, quem *Tannerus* inscribit: *De ente universali*, non adlato initio. Ad calcem: *Chwalmez boha w weseli*, id est, Laudemus Deum in laetitia.

VI. *fol.* 167. p. 2. *Incipit tractatus secundus libri primi de ente primo in communi.* Initium: *Extenso ente secundum eius maximam ampliacionem* &c.

VII. *fol.* 190. p. 2. absque titulo Tractatus *de Ente particulari*, qui incipit: *Supposito ex superius declaratis et declarandis in posterum, quod ens communissimum* &c. Agitur hic deinceps de Substantia, Quantitate, Qualitate, Relatione, Actione et Passione, et demum de Tempore. Itaque adducor, ut putem habe-

ri